

# RECENSIO

## UNIVERSI CLERI DIOECESIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SEculi 17-MI  
TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAEQUE IN HIS PARTIBUS  
TRANQUILLITATIS, USQUE AD PRAESENS TEMPUS, COMMEN-  
TARIIS HISTORICIS ILLUSTRATA

PER

*Josephum Brüzstle,*

PAROCHUM PLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

---

**Tomus II.**



---

*Quinque-Ecclesiis,*

TYPIS LYCEI EPISCOPALIS S. RAMAZETTER.

1876.

LII.

## Parochia Gyűd.

vulgo

### Maria-Gyűd.

(comitat. Baranya.)

549.

Primum suum fundatorem veneratur ecclesia Gyűd-ensis Geysam II. Regem Hungariae, qui, perhibentibus claustrum protocollis, 1148. hic loci templum exstrui curavit, quod capta anno 1543. et expugnata per Turcas arce Siklós, occupatum et destructum fuit, subin per Graecos non unitos, tandem per helveticae confessionis asseclas obtentum et tentum usque ad annum 1689. — Memoratu dignum, quod sacer hic locus Marianus ab immemoriali tempore in regno Hungariae celeberrimus et antiquissimus sit, ad amoenissimum enim hunc locum undique ex dissitis Hungariae, Slavoniae, Syrmii partibus; gratiarum impetrandarum causa, fideles de aestate copiosissimi confluunt.

Profligato victricibus Leopoldi I. Imp. et Regis armis Turca idem rex claustrum Siklósense, antea a Benedictinis usque ad annum 1543. possessum, contulit 1689. PP. Franciscanis cum ecclesia B. M. V. in Jud; de qui-

bus Lucas Vadding haec refert: „Habet hic conventus etiam officendam unam filialem et insignem ecclesiam sub titulo *Beatissimae Virginis Mariae in Jud* nuncupatam, ac una media hora distantem a civitate, interque meros subterraneos calvinitas situatam, quae tot tamque crebis corruscet miraculis, ut ad eam undique etiam remotissimis partibus (signanter dominicis novilunaribus) confluat populus, etiam acatholicus, et quidem copiosissimus.“

In synodo dioecesana anni 1714. ubi de Siklós sermo est, haec referuntur: „Habet filialem Gyūd cum ecclesia B. Mariae Virginis, cum statua miraculosa, quae tempore disturbiorum proxime evolutorum (puta Rakóczyanor. 1704.) erat ablata Essekinum ad templum Patrum Franciscanorum, quam non volunt amplius restituere. In hoc pago sunt meri Calvinistae cum Praedicante, Patres tamen Franciscani Siklósenses administrant Ecclesiam tamquam catholicam, populo catholico aliunde eo concurrente.“

In visitatione canonica 1721. peracta haec notantur: „Insuper sub cura eorundem (puta Franciscanor. Siklósens.) habetur ecclesia in possessione ejusdem domini, *Jud* vulgo vocitata, quam Illustrissimus ac Reverendissimus condam Dominus Mathias Radonay Episcopus Quinqueecclesiensis penes gratiosum suae Majestatis sacratissimae mandatum, de manibus haereticorum recipiendo, catholicis attribuit, quae utpote ecclesia ab antiquo ritu catholico exstructa, Magnae Hungarorum Dominae honori dicata, habet a dextera turrin in medietate destructam, et sacristiam recenter aedificatam, de caetero bene scandulis sarta tecta. Continet vero in se altare unicum, constans ex pictis in tela iconibus sanctorum Francisci Seraphici, et Antonii Paduani, inter quos ad

tores Religiosi sustentantur, et ipsa Ecclesia cum Residentia conservatur.

Punctum 3-um. Quot numero Personae in Residentia, inclusis etiam Laicis, aliisque Residentiae adscriptis, de praesenti, cum expressione muneris, exstant?

Respondemus: Sacerdotes numero sex, Laicos duos, et unum Tertiarium in Religioso habitu esse, videlicet:

*P. Eustachium Kovacsevich*, Concinatorum et praesidentem loci.

*P. Bartholomaeum Strausz*, Conc. et Vicarium.

*P. Michaellem Christ*, Concinatorum.

*P. Guidonem Grecz*, Concinatorum.

*P. Aloysium Gludovacz*, Concinatorum.

*P. Maximilianum Jahl*, Conc. Cantorem et Organistam.

*Fr. Nicolaum Rueff*, Arcularium.

*Fr. Clementem Skribe*, Cocum.

*Fr. Simonem Kukovacz*, Tertiarium.

Interim nec hi, nec Siklosienses Patres sufficiunt, ut in concursu devoti populi hungarici, germanici et illyrici ex diversis Comitatus confluentis, pietati debite satisfaciant; verum aliunde postulare cogimur, ut menti et intentioni pie in Domino defunctae ex asse, et pro nostra obligatione serviamus.

Haec sunt Exllme Dne Praesul, quae ad nobis proposita puncta fideliter referre debuimus: deprecantes, et Paternum Excellentiae Vestrae Patrocinium implorantes, ut nos benigno favore, Paternaque protectione dignaretur prosequi, qui piis nostris precibus remetiri nullo unquam tempore intermitteremus, uti et in omnimoda devotione provoluti emorimur, Maria-Gyud 27. May 1767. Exllmae etc. Fr. Praesidens totaque Residentia.

Haec residentia abhinc floruit usque ad Josephina tempora, eotum suppressa residentia nonnisi tempore episcopi Josephi Király revixit.

Anno 1788. 22. Decemb. *P. Rajmundus Dencsár*, Praesidens Gyüdensis, datis ad officium dioecesanum literis, conqueritur: ecclesiam per commissarios regios privatam vestibus Statuae B. V. et omnibus candelis, relictis nonnisi duobus frustis in ara majori. — Jacet haec ecclesia in amoenissima comitatus Baranyensis plaga, radici praealti montis quasi affixa, in distantia unius horae commodo passu perficiendae ab oppido Siklós.

Gyüd qua parochia jam seculo 14. exstitit, videlicet: 1333. *Stephanus Sacerdos de Giud*; item: 1333. *Stephanus de Gyud*; 1334. *Stephanus de Eynud* (lege Gyud; — in secunda solutione hujus, et sequenti anno 1335. *Stephanus de Gyud*. In eodem regesto annaturam etiam legitur: Nota, quod ex parte Capituli de proventibus denariorum habuimus 12. marcas. Item pro redemptione vini de *Gyd* pro 1116. Cubulis habuimus 18. marca minus 48. banalibus, et adhuc populi de Syng debent solvere 9. marcas cum media. Item de his feria secunda proxima post octavam Epiphaniae Domini solverunt 4.

Aevo nostro denuo *Stephanus* nomine zelosus sacerdos fuit, qui in Maria-Gyüd primus exercuit munia pastoralia ut parochiae administrator, solos paucos catholicos in ipsa hac possessione habitantes cura sua complectens. Postquam enim residentia Gyüdensis per Josephum II. anno 1789. sublata fuisset, locusque iste in spiritualibus conventui Siklóseni subjiceretur, post 20. et amplius annorum intervallum Josephus Király episcopus, asservata in Gyüd 1810. 13. Junii visitatione canonica, isthuc parochiam erexit, cui praeponitur:

**I. Stephanus Tóth**, natus 1780. 7. Novemb. in *Tarany* comitatus Simeghensis loco; grammaticalia Magnokanizsae, humaniora et philosophiam Quinque-Ecclesiis audivit, ingressus 1800. ordinem S. Francisci Prov. S. Lad. novitiatum sustinuit *Ivanichii*, posthac theologiae studio Quinque-Ecclesiis incubuit, professus 1802. 5. Septemb. ordinatur 1804. 22. Septemb. Quinque-Ecclesiis presbyter, primitias die 7. Octobr. in festo SS. Rosarii celebravit in *Maria-Gyűd*, ubi jam anno 1809. munia spiritualia coepit exercere, constitutus sequenti anno ibidem administrator parochiae, qua talis 20. annis illic functurus. Postea *Zagrabiam* translatus ibi extremos vitae annos sacris meditationibus occupatus transegit, et anno 1854. jubilaem sacerdotii celebravit. Mortalitem explevit *Zagrabiae* 1867. die 11. Octobr. anno aetatis 87. religionis 67. sacerdotii completo 12. supra jubilaem. Hic sacerdos religiosus ab initio statim usque ad dies vitae communionem suffragiorum cum sacerdotibus dioecesanis sustinuit, qui idcirco pro eodem defuncto tria solita missae sacrificia singillatim obtulerunt.

Post discessum hujus administratoris nullum ordinarium curatum habuit locus iste thaumaturgus, sed per unum alterumve religiosum providebatur ex conventu Siklósensi; regimen autem dioecesanum hunc locum quasi negligere visum est. Tandem episcopus Joannes Bapt. Scitovszky, pastor semper vigilantissimus, occasione visitae in Siklós 1845. peractae prodigia et miracula in hocce asylo gratiarum a pristinis diebus ad praesens usque patrata, fidelique manu connotata, attento animo volvens, honorem Dei, cultumque ac venerationem Deiparae promoturus, mox anno proxime sequenti parochiam in *Maria-Gyűd* instituit, domumque inibi religiosam in residentiam elevavit. Huic parochiae ceu filiales incorporati pagi aca-

tholicorum, paucis orthodoxae fidei a seclis provisi sunt, utpote : *Chehi, Dráva-Palkonya, Dráva-Szabolcs, Harkány, Ipacsfa, Kovácskida, Szerdahely, Terehegy*, nec non praedia *Dázsony, Páli*, et *Szödöny*. De quibusdam harum filialium connotata volumus quaequam ex seculis superioribus, quae locorum antiquitatem innuunt. Signanter de *Terehegy* habetur documentum de anno 1332. sequentis tenoris : „Capitulum ecclesie Colocensis. vno versorum (sic) noticie tam presencium, quam futurorum harum serie declaramus. Quod ad nostram accedentes presenciam Egidius dictus de Beche. pro se, et pro magistro Emerico fratre suo similiter de Beche dicto, nec non pro Thutos. Georgio dicto vezsceus (puta Vesszós). Thoma dicto Thuisses flys videlicet ipsius magistri Emerici fratris sui, cum sufficienti procuratorio Conuentus Monastery varadiensis, ex vna parte, ex altera vero Nicolaus paruulus filius Fynta de Lak de Comitatu Budrugensi. Item Gebech filius Michaelis. dicti vnuka de Aran. Item Johannes filius Michaelis de Kayand, quilibet horum pro se in sollidum dixerunt omnes coram nobis, et confessi sunt, oraculo vive vocis, quod communi ipsorum voluntati placuisset facere concambium per hunc modum. Quod praescripti Egidius, ac magister Emericus, cum suis filiis, Thutos, vezsceus, Thuisses communiter, quandam ipsorum possessionem hereditariam *The-remheg* vel alio nomine Wruus vocatam in Comitatu Barana existentem. adiungendo ad eandem octo marcas, predictis Nicolao filio Fyntha. Gebech filio Michaelis. Johanni filio Michaelis de Kayand in concambium possessionis ipsorum Nicolai filii Fynta, Gebech, et Johannis iam pretactorum Lak vocate in Comitatu Budrugensi existentis, dedissent, vendidissent, tradidissent, et concambium inter se fecissent. Ipse vero Nicolaus paruulus filius Fynta suam porcionem possessionariam in ipsa possessione

59. tritici cub. 25. vini tinas 25. Anno 60. farine cub. 25. vini cub. 150. Dicam Regiam soluerunt de portis 18. cum addicione 20. denar. Anni 59.

*Harkan* Gabrielis Pereny. Andreas Warga Judex fassus est ibidem contineri sessiones colonorum 4. Inquilinos 4. desertas 10. Judex anni 58. mortuus est. Anno 59. censum ad arcem soluerunt fl. 6. d. 50. decimas eiusdem anni tritici cub. 33. vini tinas 6. per pintas 24. lardum unum emptum fl. 2. d. 32. Anno 60. tritici cub. 17. vini cub. 80. Dicam Regiam soluerunt de portis 11. iuxta regestum dicatoris.“

De ultimo loco, nempe *Harkány* adhuc notandum venit: ibidem praestantissimas et actu jam celeberrimas per regnum thermas, ad sanandos varii generis, cumprimis vero rheumatismi ac paralyseos morbos aptissimas existere. Salubris callidae hujus aquae vis et efficacia anno 1823. primum innotuit; eo quippe tempore Antonius comes a Battyhán, hereditarius possessor dominií Siklós, continuarum fere a Siklós usque ad Dravum, totique regioni huic multa damna causantium paludum exsiccationem tentans, plures per geometras designatos canales fodi curavit; qua vice operarius quidam Joannes Pogány, secus incola Gyüdensis, fossionis labore intentus, inopinate scaturiginem aquae tepidae, imo ferventis attigit, in qua pedibus suis paralytico morbo dudum excruciatís per modicum temporis intervallum consistens, aliquam dolorum ac morbi relaxationem persentiscebatur. Repetita successive tali pedum aquae immersione, ex toto convaluit. Divulgata hac revocatae sanitatis fama, ruricolae ex vicinia variis morbis afflicti turmatim ad beneficum balneum convolarunt, quorum numerum imprimis frequentissimi ad Maria-Gyüd peregrinantes auxerunt, qui restituta ibidem animae integritate, isthic corporis malo me-



delam requirebant. Animadvertens dominus terrestris una ex parte salutarem ad morbos depellendos vim aquae, altera vero omnis sexus ac aetatis aegrotorum huc confluentium frequentiam, mox anno 1824. in principalem aquae callidae scaturiginem inquirens, hanc contra algidarum aquarum diluentes incursus tuiturus, eam circummuniri, aedificiumque pro balneis, cellulis provisum erigi curavit. Crescente in annos languentium medicaminis causa huc contententium copia, per filium suprafati dynastae, nempe Casimirum comitem Batthyáni novum aedificium pro balneis, item alterum pro hospitem condescensione, 44. cubiculis provisum, aedificata sunt, quod posterius, novo addito tractu, anno 1870. cubiculis 22. auctum exstitit. Excisis per comitem Antonium pro horto nemoroso jugeribus 55. adjecta sunt recentiori tempore insuper 26. jugera; quod ingens spatium, arboribus ac frutetis insitum, hinc et illinc florum varietate ornatum, amoenissimum praebet hospitibus deambulatorium. Sic itaque parochia Maria-Gyüd geminum pro sauciato genere mortalium, nempe animae corporisque, in se continet fontem gratiarum efficacem.

In ipsa matre Maria-Gyüd perpauca habentur fidei orthodoxae asseclae, qui attamen labentibus annis multiplicantur, uti sequens schema exhibet, erant quippe

anno 1812.	65.	animae catholicorum,
” 1822.	54.	” ”
” 1832.	64.	” ”
” 1842.	87.	” ”
” 1852.	109.	” ”
” 1862.	148.	” ”
” 1872.	210.	” ”

Nunc praebenda venit series rectorum hujus parochiae, qui inde ab initio restitutae paroeciae simul praesidentes residentiae erant:

**II. P. Martinus Mutzhard**, originem 1791. 13. Januar. in *Kis-Kanizsa* comit. Zala habuit; — profess. 1812. 14. Jan. — primitias 1814. 21. Febr. in *Szabolcs* pone Quinque-Ecclesias celebravit. Ab anno 1846. munus praesidentis residentiae, nec non parochiae administratoris per 16. annos executus, suo, quod sustinuit, officio immortalus est 4. Mart. 1862. anno aetat. 72. sepultus in coemeterio prope capellam montis Calvariae.

**III. P. Honorius Gregories**, natus 1823. 21. Mart. *Kanizsae*; — prof. 1846. 15. April. — primit. 1849. 4. Nov.; ab obitu prioris praesidentis, eotum vicariatum residentiae gerens, provisorius constituitur praesidens, una administrator parochiae; ast nonnisi per 5. menses munus hoc obiit, nam eodem anno 1862. 29. Jul. in congregatione *Kanizsae* habita huc disponitur

**IV. P. Landulphus Matkovics**, aequae *Magno-Kanizsae* 1812. 11. Sept. vitam adiit; — prof. 1833. 18. Sept. — primit. 1835. 4. Octobr.; qua definitor provinciae officium praesidentis hujus residentiae per anni circulum explevit, electus 1863. in capitulo *Varasdini* asservato minister provincialis.

**V. P. Ignatius Horváth**, itidem filius *Kanizsensis*, 1829. 23. Junii progenitus; — prof. 1850. 4. Jul. — primit. 1853. 14. Aug.; per triennium (1863.—1866.) praefuit parochiae ac residentiae.

**VI. P. Landulphus Matkovics**, (qui supra,) resignato in capitulo Varasdinensi 20. Jul. 1866. provincialatu, denuo gubernacula hujus loci suscepit.

**VII. P. Ignatius Horváth**, (qui supra,) Patri Landulpho, in congregatione 23. Jul. 1873. Csáktornyaee celebrata, munus praesidentis abdicanti successit.

Concionatores in Maria-Gyűd mortui: \*)

**1. P. Paulus Horváth**, Hungarus, 1703. 23. Junii natus; professus 1728. 20. Januar. primitias habuit 1729. 24. April. in *Szigetvár*. -- † 1760. 10. Mart. aet. 57.

**2. P. Placidus Höllensteiner**, Bavarus, 1721. 25. Dec. progenitus; profess. 1744. 4. Januar. primit. 1749. *Varasdini*. — † 1762. 14. Sept. aet. 41.

**3. P. Guido Gretz**, *Landsbergae* in Bavaria 1717. 3. Junii nat. profess. 1741. 10. August. primit. *Remeticii* 1744. 4. Octob. — † 1768. 1. Junii aet. 51. complet.

**4. P. Callixtus Schlögel**, 1738. 29. Januar. in *Csém* (Schaudorf) comitat. Castrifer. nat. profess. 1759. 8. Sept. primit. 1762. 29. Sept. in *Veröcse*. — † 1768. 10. Nov. aet. 31.

**5. P. Canutus Koszchalek**, Slavus *Botroniens*. 1728. 27. Julii natus; profess. 1749. 8. Sept. primit in *Nemes-Vid* 1754. 12. Maji. — † 1770. 16. Julii aet. 42. pene complet.

---

\*) Omittuntur isthic, qui aliis locis connotantur.

**6. P. Lucas Lukács**, nat. 1740. 15. August. in *Dömöteri* filial. ad *Sz. Léránt* comitat. Castrifer. profess. 1762. 8. Sept. primit. 1765. 11. Nov. *Quinque-Ecclesiis*. — † 1771. 25. Maji aet. 31.

**7. P. Eustachius Kovacsevics**, 1710. 16. Nov. progenitus *Quinque-Ecclesiis*; profess. 1733. 20. Sept. primit. in loco natali 1737. 24. April. — † 1775. 9. Dec. aet. 66.

**8. P. Antonius Teklics**, nat. 1730. 22. Febr. in *Sz. Péter* filial ad *Sz. Gróth* comit. Szaladens. profess. 1751. 8. Sept. primit. *Csáktornya* 1755. 29. Sept. — † 1781. 15. Nov. aet. 52.

**9. P. Matthaeus Pfeiffer**, *Bambergae* in Franconia 1745. 3. Nov. prognatus; profess. 1766. 15. August. primit. 30. Mart. 1771. *Quinque-Ecclesiis*. — † 1782. 9. April. aet. 37.

**10. P. Franciscus Dudics**, 1736. 4. Dec. nat. *Kanizsae*; profess. 1758. 8. Sept. primit. *Remeticii* 1762. 29. Sept. — † 1783. 27. Mart. aet. 47.

**11. P. Maximus Göller**, Bohemus *Treyblicensis*, 1719. 16. August. natus; profess. 1744. 4. Jan. primit. *Quinque-Ecclesiis* 1748. 24. April. † 1785. 14. April. aet. 66.

**12. P. Marianus Propatics**, 1740. 12. Nov. *Szigetvári* progenitus; profess. 1760. 8. Sept. primit. *Csáktornya* 20. Januar. 1765. — † 1787. 17. Sept. aet. 47.

**13. P. Matthaeus Höltzel**, in *Reisbach* Bavariae loco 1744. 14. Dec. mundo datus; profess. 1766. 5. Maji; primit. *Zagrabiae* 1771. 24. April. — † 1788. 9. April. aet. 44.

**14. P. Ignatius Hébar**, in *Cserencsócz* comitat. Szaladens. 1793. 29. Octob. natus; profess. 1817. 21. Sept. primit. in *Attád* 1821. 16. Sept. — † 1837. 30. Octob. annor. 44. completor.

---